



Sammelband G.

M
1
2
3
4.
5
6.
7
8
9
10
11.

12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22



- Nr. Praefides
 1. Hoehner De actis in mortis articulo.
 2. Melafius ad tit. C. qui testamenta fac. perfund.
 3. Vaeterbach De testamento destituito
 4. Kraus - civiliter mortuis.
 5. Wildvogel - testamento holographo reciproco.
 6. Harprecht - testam. rat. voluntatis imperfecto.
 7. Stoych - execrationibus testatorum
 8. Schweder - agnitione et approbat. ult. volunt.
 9. Truchs - impugnacione testamenti fraterni.
 10. Cocceji - obligat. heredis ex delict. defuncti
 11. Hiemer Utrum quod incapaci relictum est pertineat
 ad Fiscum.
 12. Wolfram De praecipuo liberorum.
 13. Pundling - transactione testamenti sub. a. inspectis.
 14. Kniebs - revocatione codicillorum.
 15. Praeschenitz - amortizatione bonorum.
 16. Zepper - codicillis et claus. codicillari.
 17. Harprecht - tacito pacto fideicommissi remissionis
 ex divis. bonorum presunto.
 18. Schweder - alienat. bonor. fideic. obnoxiorum.
 19. Franck - precetto de non alienando extra famil.
 20. Vitriarius - alienat. bonor. hereditariorum.
 21. Schwendaditz - manna mortua.
 22. Strauch - personis incertis.

| Nr | Præfides | |
|---------|-------------|--|
| 23. | Böckhelmann | De jure maternorum |
| 24 | Bardili | - legato conditionali. |
| 25 | Väuterbach | - magis dilecto. |
| 26 | Beimama | - optione minoris heredis. |
| 27. | o Jera | - legitima liberorum. |
| 28 | Koth | - jure præcipui. |
| 29 | Schrag | - vicefima hereditatum. |
| 30. 31. | Harprecht | - divisione bonor. a parente vivo facta |
| 32. | Clasenuis | - collatione bonorum. |
| 33. | Linck | - exheredit. bona mente facta. |
| 34 | Schuchmann | - transmissione |
| 35-37. | Posteufcher | - Successionibus ab intestato. |
| 38. | Beemann | - collat. jur. Suecici et R. in nat. successabg. |

J.



DISPUTATIO INAUGURALIS

Ad

pr. l. si deportati 7. de legat. 3.

De Quæstione

UTRUM, QVOD
INCAPACI A TESTA-
TORE RELICTUM EST, PER-
TINEAT AD FISCUM.

Quam

D. O. M. A.

*Ex decreto Magnifici, Nobilissimi & Amplif-
simi Fctorum Collegii*

Præsidente

Amplissimo & Consultissimo Viro

Dn. VALENTINO RIEMERO

J. U. D. ET PROFESSORE CELEBERRIMO,

nec non Scabinatus Assessore dignissimo, Præceptore
& Fautore suo plurimum & observan-
ter honorando.

*Pro summo in Utroque Jure Gradu, Privilegiis &
Insigniis consequendis*

Publicæ discussioni proponit

JACOBUS FOMAN Jenâ-Thur.

Ad diem 23. Februarii Anno 1628.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

UTRUM QVOD

INCAPACITATE

TESTAMENTI

IN

QVOD

EST

INCAPACITATE

TESTAMENTI

IN

QVOD

UTRUM QVOD

INCAPACITATE

TESTAMENTI

IN

QVOD

EST

INCAPACITATE

TESTAMENTI

IN

QVOD





*Enodatio pr. l. si deportati 7. de
legat. 3.*

T H E S. I.



Loquitur Ulpianus in *pr. l. 7. de
legat. 3. de fideicommissis*, quod adscri-
ptum est servo deportati. Sunt autem, qui
arbitrantur, hodiè usum servorum inter
Christianos non reperiri, Treutler. *vol. 1. 1.*
disp. 2. th. 2. lit. E. Hedeman. *semestr. disp. 2. thes. 5.*
lit. A. atque etiam deportationem, in desuetudinem abiisse
Clar. *sentent. lib. 5. §. fin. quest. 67. nu. 8. ibiq. alleg.* Quapropter
enodatio *d. pr.* inutilis esse videtur.

II.

Utilis tamen & fructuosa est, non tam propterea, quod
usus servorum etiamnum nobis est concessus, Mynsing.
ad §. servi autem 3. Inst. de jur. person. Bachov. *ad Treutler. d. thes. 2.*
lit. E. quodque hodiè sunt, qui pro deportatis habentur
Clar. *d. loc.* quàm hac de causa, ne quis opinetur, fisco deberi
illud, quod incapaci testator reliquit.

III.

Erraretur enim. Si verò *d. pr.* interpretationem non ha-
beret, eam in opinionem facilè aliquem perduceret, quia
ait, fideicommissum, quod servo deportati adscriptum est,
pertinere ad fiscum, atque deportati servus est incapax, un-
de talis conficitur Syllogismus:

Deportati servus est incapax.

Fideicommissum, quod servo deportati testator attri-
buit, accipit fiscus.

Ergò fideicommissum, quod incapaci testator attri-
buit, accipit fiscus.

A 2

Con-

IV.

Conclusio, ut antea dixi, est falsa. Ergo falsa erit aliqua præmissarum. Major est vera. Ergò falsa est minor. Pro cõfirmatione, quod cõclusio sit falsa, vera autẽ sit propositio major, probabo, fisco nõ deberi, quod incapaci testator assignavit, atque deportati servum esse incapacem.

V.

Nonnulla tamen exemplo Ulpiani *in l. 9. de castr. pec. & in l. 1. de reb. cred.* præmittam, quorum *απόγνωσις* hũc adferenda est, & quæ non tantũ scire debemus, sed etiam reminisci, ut non saltem nobis sint nota, sed etiam parata, sicut loquitur Seneca *in epist. 94.*

VI.

Horum sunt duo. Primum est, quod quidam incapacium absolutẽ tales dicantur, quidam verò secundum quid, Bachov. *ad Treutl. volum. 2. disp. II. th. 2. lit. G.* quodque illi sint, quibus hereditas, legatum vel fideicommissum assignari non potest, adeò, ut eorum acquisitionem nec radicare queant (ob conditionem scil. & qualitatem suæ personæ.) Hi autem vocentur, quibus ista possunt relinqui ita, ut ab iisdem accipiantur, sed non capiantur.

VII.

Alterum est, quod tria sint tempora, quibus incapaci absolutẽ sic nominato incapacitas potest esse nociva, nisi unum cum altero coincidat, quod interdum contingit, ut dicetur *infra thes. 14.*

VIII.

Ex hisce temporibus primum est illud, quo conditur testamentum *l. 49. §. 1. l. 50. in pr. & l. 59. §. 4. de her. inst.* Non refert, an in illo testamento aliquis honoretur hereditate, an verò legato vel fideicommissio, nec spectatur, an honorationi apponatur conditio, *d. §. 4.* nisi sit talis: *cum capere potuerit.* Nam sub hac conditione incapaci hereditatem vel legatum assignari posse benevolentia est *l. 62. in pr. d. tit.*

IX.

Dissentiunt omnes, quos hæctenus mihi licuit perlustrare

strare LL. Interpretes. Quidam enim eorum arbitrantur, legatario incapacitatem, quæ fuit tempore conditi testamenti, innocuam esse, non tantum si sub conditione, sed etiam, si purè ei legatum adscriptum fuerit, *propter l. 3. §. 2. de jur. fisc. Br. num. 14. Albert. de Rosat. num. 2. Castrenf. num. 6. ad rubr. ff. de reg. Caton.* quos refellit Anton. Faber. *conject. libr. 12. cap. 20. cui addatur Dn. Hilliger. p. m. ad Donell. comm. libr. 8. cap. 13. lit. C.*

X.

Quidam verò sentiunt, legatarii capacitatem tempore conditi testamenti necessariam esse in puris legatis, non verò in conditionalibus propterea, quia regula Catoniana definit, legatum non valere quocunque tempore testator decesserit, si inutile foret tempore facti testamenti, *l. 1. de reg. Caton.* & quia hoc limitatur, ut in legatis conditionalibus locum non habeat *l. 41. §. 2. de legat. 1.*

XI.

Sed hisce respondeo, quod decipiantur putantes, legatum illud, quod adscriptum est incapaci, inutile esse. Nam licet ab eo accipi nequeat, ad substitutum tamen devenit *Matthæac. de via & rat. jur. lib. 2. c. 13. nu. 17. & seqq.* atque aliud est, legatum accipere non posse, aliud etiam, idem esse inutile: Hoc æstimatur ex regula Catoniana: Illud autem ex aliis juris articulis, *utputa ex ll. in th. 8. alleg.*

XII.

Quapropter ex regula Catoniana non rectè probatur, quod tempore, quo conditur testamentum, legatarium capacem esse oporteat, nec rectè excipitur legatarius conditionaliter vocatus, cum hæc exceptio non sit de regula.

XIII.

Secundum tempus est, vel quod testator denascitur, si is purè testatus fuerit; *l. 49. §. 1. l. 59. §. 4. de hered. inst.* vel quo existit conditio, si testator suæ voluntati conditionem addiderit *d. §. 1. & d. §. 4. Hillig ad Donell. comm. lib. 6. c. 17. lit. B. Disfent. Cujac. in observ. lib. 4 c. 4.*

XIV.

Tertium & ultimum est tempus acquisitionis: *d.l. 49. §.1.* Sed hoc nonnunquam cum secundo concurrit, ut si heres instituitur suus, Bachov. *ad Treutler. volum.2. disput.11.th.5. lit.G.in fin.* vel si quis purè constituitur legatarius. Nam & hic statim à morte testatoris acquirit. Bachov. *ad d. volum 2. disp.13.th.7.lit.A.vers.fed hoc amplius &c.* Dissent. Mejer. *in Colleg. Argent. tit. de legatis th. 52. & seq.*

XV.

Tempore verò intermedio incapacem fuisse non officit, *d.l. 49. §.1.l.50.l.59. §.4. de hered. inst.* licet intermedio aperiuntur tabulæ. Recessum enim est à jure veteri, quo hereditas vel legata erant caduca, si heredes pro parte instituti, vel legatarii tempore aperiendarum tabularum incapaces inveniuntur.

XVI.

Hiscæ præmissis, & memoria retentis, quando negatur, fisco deberi, quod incapaci testator reliquit, intelligendum hoc est de eo incapace, qui absolutè ita vocatur.

XVII.

Ratio negationis est, quia illud ex regula haud incerta habetur pro non scripto *l.3. in pr. de his que pro non script. hab. l.1. ibique Br. & Bl. C. de hered. inst. Cujac. 7. obs. 31. Petr. Faber. 2. semestr. 13. vers. illud constat &c.*

XVIII.

Ea autem, quæ pro non scriptis habentur, ad fiscum non pertinent, *d.l. 3. §.1.* sed debentur substituto vel conjuncto, aut remanent penes legitimum heredem, vel penes illos, qui à testatore fuerunt onerati *l.1. de his que pro non script. hab. l.unic. §.3. & 8. C. de caduc. toll. Mejer. in Colleg. Argent. tit. de his que pro non script. hab. th. 2.*

XIX.

Prædicta regula primò ampliatur, ut vera sit non tantum de eo, qui incapax fuit statim tempore conditi testamenti, sed etiam de hoc, qui post factum testamentum in incapacem fuit mutatus *l.unic. §.4. C. de cad. toll.* (si scilicet in statum priorem non redierit *propter th. 15.*)

Ex

XX.

Ex jure tamen antiquiori hoc in casu hereditas, legatum vel fideicommissum erat in causa caduci, Vultej. ad §. 4. *Inst. quib. mod. test. infir. num. fin.* Notari autem debet distinctio caducorum, & eorum quæ dicebantur in causa caduci. Caduca erant, quæ certò ad fiscum pertinebant: sed in causa caduci vocabantur, in quibus fiscus habebat spem, vel jus in spe, non radicatum, aut certum: verum tale, quod deficere poterat. Bachov. ad Treutler. d. disput. 13. thes. 7. lit. A. vers. quod si legatarius &c.

XXI.

Deinde post ampliationem eadem regula limitatur, ut non procedat, si incapaci tacitè in fraudem legis fideicommissum adscriptum fuerit, atque fiduciarius testatori fidem accommodaverit. Hoc enim vindicatur fisco l. 10. de his quæ ut indign. aufer.

XXII.

Nihilominus quidem obstare videtur l. 13. in pr. & §. 1. de jur. fisc. ubi inquit Paulus, ad fiscum pertinere, quæ incapacibus reliquuntur, sive relinquuntur palàm, sive tacitè, ideoque si illi, antequàm causa eorùm ad ærarium delata fuerit, incapacitatè suam profiteantur, partem ex eis fisco inferri, partem verò ex edicto Trajani retinere incapaces denunciantes.

XXIII.

Veruntamen Paulus ibi loquitur de iis, qui propter leges caducarias aliquid capere nequeunt utiliter & cum effectu, ita scil. ut illud fiscus nō possit auferre, qui incapaces sunt & dicuntur secundum quid; in specie autem appellantur indigni Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 11. th. 2. lit. G.

XXIV.

Non verò sermocinatur de iis, qui absolutè incapaces vocantur, & testamenti factionem non habent, uti collegitur tam ex inscriptione, quàm ex quibusdam legis verbis, quæ notavit Petr. Faber. loc. alleg.

XXV.

Itidem refragari videtur l. 12. de his quæ ut indign. aufer. ubi dicitur fiscum auferre hereditatem, si post testamentum

tum

tum prius conditum institutus fuerit, qui institui non potest.

XXVI.

Cæterum respondetur, quod specie *d.l.12.* fiscus hereditatem auferat non incapaci, qui institutus in testamento posteriori, sed capaci, qui scriptus est in testamento priori, & in posteriori per contrariam testatoris voluntatem declaratus est indignus *Bachov. ad Treutl. d. th. 2. lit. G.*

XXVII.

Ostendi ad fiscum non pertinere illud, qui incapaci à testatore assignatum est. Quod verò deportati servus sit incapax, apparebit, si manifestaverim, incapacem esse deportatum, quia capax nullus est servus, qui dominum capacem non habet *l. 31. l. 49. §. 1. l. 50. de her. inst. l. 12. §. 2. de legat. 1. l. 82. §. 2. de legat. 2. licet aliis legatum vires accipiat ex persona servi d. l. 82. §. 2.*

XXVIII.

Dissentiunt *Br. et Bl.* atque *Castrensis ad l. 1. C. de hered. instit.* putantes servi capacitatem æstimari ex persona domini, non si hic penitus incapax sit, sed si in quibusdam capax, in quibusdam verò incapax inveniatur propter *d. l. 82. §. 2.* ex quo tamen potius refelluntur, nec ei cum *Perenono 2. adimadvers. & var. lect. 19.* inferenda est negatio, uti rectè demonstrat *Dn. Hillig. ad Donell. comm. lib. 8. c. 6. lit. A.*

XXIX.

Deportatum igitur incapacem esse probo *per l. 16. de interd. & releg.* ubi statuitur, deportato extra causam alimentorum neque hereditatem, neque legatum, neque fideicommissum posse relinqui, ne illius conditio contra mores & jus publicum mutetur.

XXX.

Suffragatur *l. 1. §. 8. ad Sctum Tertullian.* ubi negatur, deportatum ad legitimam hereditatem admitti, & *l. 1. C. de hered. instit.* quæ de eodem dicit, quod, si heres scribatur, capere non possit, sed hereditas sit in causa, in qua fuisset, si scriptus non esset.

Resi-

XXXI.

Resistere autem videtur *l. i. §. 6. ad SCtum Tertull.* ubi Ulpian. ait, eum qui operas suas locavit, ut pugnaret cum bestiis, quivè rei capitalis damnatus, neque restitutus, ad matris hereditatem ex SCto Orphitiano admissum non fuisse, humanâ verò interpretatione placuisse, eum admitti.

XXXII.

Nam licet Accursius hæc Ulpiani verba: *Humanâ interpretatione placuit eum admitti*, referre velit ad eum, qui operas suas locavit, ut pugnaret cum bestiis, non verò ad rei capitalis damnatum: fieri tamen nequit, cum de illo sermo habeatur loco priori.

XXXIII.

Si verò ea verba etiam intelliguntur de rei capitalis damnato, colligitur inde, deportatum incapacem non esse, quia rei capitalis damnatus dicitur is, cui adjudicata est vel mors, vel servitus vel civitatis amissio *l. 2. ff. de pæn.*

XXXIV.

Deinde ad impugnandū affertur *l. 15. ff. de interd. & releg.* ubi perhibetur, quod deportatus à Præfide sine Principe & heres existere, & ex testamento legata capere possit.

XXXV.

Sunt & aliæ objectiones, quas ob studium brevitas prætereo, eæque inveniuntur & diluuntur apud Br. Bl. atque Castrensem *in l. i. C. de hered. instit.*

XXXVI.

Verum *l. i. §. 6. ad SCtum Tertull.* non adversatur propterea, quia rei capitalis damnatus dicitur etiam is, (largâ scil. significatione) cui adjudicata est relegatio, vel alia pœna, pertinens ad existimationem *l. 4. in prin. si quis caut. jud. sistend. non obtemp. l. 103. de V. S.*

XXXVII.

Nam quamvis *l. 2. de pæn. & l. 13. de bon. poss. repugnare*

B

vi-

videantur: revera tamen obstaculo non sunt, quia in illis
LL. saltem deciditur, qui rei capitalis damnati vocentur in
propria & stricta significatione, non verò negatur, alios aliã
significatione ita nominari posse.

XXXVIII.

Quod autem Ulpianus *in d. §. 6.* non utatur significa-
tione stricta, constat ex *vers. fin.* ubi inquit, etiam filium in
potestate rei capitalis damnati constitutum ex Scto Or-
phitiano ad hereditatem admitti, quia rei capitalis damna-
tus propriè sic dictus, filium in potestate habere nō potest.

XXXIX.

Loquitur igitur de rei capitalis damnato, qui largiter
talisperhibetur, atque de hoc, ut & de locatore operarum
suarum ad oppugnationem bestiarum asserit, quod ad ma-
tris hereditatem ex Scto Orphitiano admissi non fuerint,
humanã autem interpretatione placuerit, ut admitteren-
tur. Quod tamen non ita est intelligendum, quasi illo Scto
à matris hereditate fuerint depulsi, sed quod eo non nomi-
natim sint vocati, unde dubitari cœpit, an dictum Sctum
ita interpretari possimus, ut ejus beneficium ad hos quo-
que pertineat, quia uterque illo beneficio novo videbatur
indignus. Petr. Faber. 2. *semestr. 13. vers. ad summam &c.*

XL.

Ad alteram objectionem respondetur, deportationem
à Præside sine Principe esse inutilem & invalidam. Licet
enim Præses Provinciæ habeat merum & mixtum impe-
rium *l. 6. §. 8. de offic. Præsid.* sine Principe tamen deportare
non potest *l. 6. §. 1. de interd. & releg.*

XLI.

Huic solutioni non obstat *l. 6. §. ult. de pæn.* ubi inter pœ-
nas, quibus Præsides aliquem afficere possunt, enumerari
videtur deportatio. Nam *in d. §. ult.* vel nomen Præsidis su-
mitur generaliter, ut eo comprehendatur Proconsul *arg. in-*
scribe.

script. vel simpliciter tantum pœnæ recensentur : quas au-
tem ex illis irrogare possit Præses, demonstratur postea in
l. seq. Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 3. th. 6. lit. C.

XLII.

Nec per *l. i. C. de sent. pass. evincitur, Præsides Provinciæ*
ius deportandi habere. Quamvis enim d. l. i. loquatur de
illo, qui deportatus est à Legato Cæsaris, atque Præsides
Provinciæ Legati Cæsaris quoque dicantur: ea tamen in-
telligenda est de Cæsaris Legato speciali, Bachov. d. loc.

XLIII.

Probandis probatis considerandum est *pr. l. 7. de le-*
gat. 3. Id communiter accipitur de eo servo, qui tempore da-
mnationis deportati nondum fuit, sed ei postea adquisitus
est ex contractu aliquo juris Gentium, ex quo deportatus
cum retineat libertatem, sine dubio acquirere potest l. 15. de
interd. & releg.

XLIV.

Utque de tali servo *d. pr. exaudiatur, monet Anton. Fa-*
ber. decad. 74. error. pragm. 8. propterea, quod Ulpianus, si de
eo servo loqueretur, quem deportatus habuit ante damna-
tionem, eum vocasset servum fisco, non deportati, quia ille
post damnationem fisco statim acquiritur.

XLV.

Ne autem *d. pr. repugnet regulæ, qua dicitur, illud, quod*
incapaci testator assignavit, haberi pro non scripto, nec ad
fiscum pertinere, docet Br. Bl. atque Castrensis in l. i. C. de he-
red. inst. servum domini penitus incapacis (qualis etiam est
deportatus) incapacem non esse; sed hanc eorum opinio-
nem reprobavi supra th. 28.

XLVI.

Addit Castrensis, quod servus deportati sit etiam fisci
ratione scil. spei, quodque ille servus fisco & deportato
communis capacitatem mutuetur à fisco, eique tanquam
domino adquirat.

XLVII.

Quemadmodum enim, inquit, servus plurium, si unus ex dominis est incapax, capacitatem mutuatur à cæteris, illique in solidum acquirit: ita qui duorum servus est, unius quidem spe, alterius vero revera, si illi, cujus revera est, acquirere nequit, acquirit capaci, cujus esse speratur.

XLVIII.

Verum nec in hoc consentio, quia ut alicui per servum adquiratur, eum revera dominum esse oportet, nec sufficit, ut is aliquando dominus fore speretur. Hillig. *ad Donell. com. lib. 6. c. 17. lit. V. Anton. Fab. d. err. pragm. 8.*

XLIX.

Displicet etiam mihi, quod Mejerus *in Colleg. Argent. tit. de legat. th. 21. num. 8.* pro conciliatione ait, deportatum, si is post damnationem servum nanciscatur, acquirere statim illius dominium fisco, & retinere saltem usum seu administrationem, ita ut eum instar servi peculiatum vendere aut permutare, non etiam manumittere, aut alio modo perdere possit.

L.

Ex hoc enim, quod dicit Mejerus, sequeretur, fideicommissum, quod servo deportati à testatore attributum est, pertinere ad fiscum, licet deportatus ante mortem testatoris restitutus fuerit, quia per restitutionem deportati fiscus quæsitum sibi dominium non amittit, nisi deportatus bonorum etiam restitutionem specialiter impetraverit *l. 2. de sent. pass. & rest. l. 2. l. 4. C. eod.*

LI.

Alium conciliandi modum dat Petrus Faber. *2. semestr. 13. vers. veruntamen &c.* Inquit enim *d. pr.* loqui de eo fideicommissum, quod servo deportati relictum est extra testamētum nudâ voluntate, atque deportatum, vel hujus servum ejusmodi fideicommissi ex jure Gentium incapacem non esse: nihilo-

nihilominus tamen illud pertinere etiam ad fiscum, non quidem statim post obitum testatoris, sed à morte deportati, cum futurum sit, ut eo tempore bona, quæ post damnationem deportatus adquisivit, fisco applicentur. Hinc *in d. pr.* Ulpiani verbum PERTINERE ita accipit, ut ad idem, quod PERTINERE POSSE, sicut *in l. 181. de V. S.*

LII.

Cæterum in hac Petri Fabri conciliatione mihi erroneum videtur, deportatum vel hujus servum esse capacem fideicommissi extra testamentum nuda voluntate relictæ. Nam de fideicommissis indistinctè narratur, quod ea relinquere possint tantum his, quibus legari non prohibentur, Ulpian. *tit. 25. §. 6.* hoc est, qui testamenti factionem habent, §. 24. *inst. de legat.* nec video ullam legem aut rationem idoneam, quibus distinctio Petri Fabri probari possit.

LIII.

Multum etiam laboris in explicationem *d. pr.* insumsit Antonius Faber. *decad. 74. error. pragm. 8. & 9.* Dicit enim fideicommissum servo deportati adscriptum pertinere quidem ad fiscum, sed non simpliciter & absolutè, neque statim à die mortis testatoris, verùm eo demum in casu & tempore, quo deportatus in statu suo naturaliter moreretur.

LIV.

Pergit Antonius Faber, fideicommissum interim esse in suspenso, quoad acquisitionem, an id adquiratur fisco, (si deportatus in statu deportationis decesserit:) an verò deportato, (si is postea restitutus fuerit:) non autem in suspenso esse illius validitatem, cum dubium non sit, servum deportati aliquando fore capacem, si scilicet vel illius dominus restituatur, vel post domini mortem servus adquiratur fisco.

LV.

Horum enim alterutrum Antonius Faber evenien-

dum esse putat, nisi servus à deportato vendatur, aut alio modo alienetur, quo casu fideicommissum ad novum dominum pertinere dicit, modò alienetur vivo adhuc testatore: aliàs fideicommissum vel ad deportatum, vel ad fiscum pertinere arbitratur: Ad deportatum, si is postea restituatur: ad fiscum verò, si deportatus nullà factà restitutione decedat.

LVI.

Veruntamen nec hæc sunt admittenda. Quid enim, si servus deportati domino præmoriatur? Certè hic casus validitatem fideicommissi dubiam facit. Nam licet Antonius Faber forsan responderet, nihilominus sub priori distinctione fideicommissum pertinere vel ad deportatum, vel ad fiscum, atque hoc in casu (cui putat in casu præcedente) acquisitionem fictione juris retrahere ad tempus mortis testatoris: Hoc tamen ei concedendum non est, quia ut retrotractio locum habeat, habiles esse debent extremi termini.

LVII.

Si igitur fideicommissum servo deportati relictum est in suspenso, suspensa etiam est illius validitas, & sustinetur sub hac tacita conditione: *cum servus vel sibi capere vel alij acquirere poterit*. Attamen hæc conditio tacita ex jure nostro vix probabitur.

LVIII.

Quid ergo dicendum? Durum est cum Petro Fabro 2. *semestr. 13. vers. illud constat &c.* respondere, in *d. pr.* deportatum per anticipationem temporis vocari eum servi dominum, qui, cum ejusdem servo fideicommissum assignaretur, nondum deportatus fuit, & cujus servus postea deportatione (quam necessario comitatur publicatio bonorum) secutà in dominium fisci translatus est. Etenim huic interpretationi verba *d. pr.* resistere videntur.

LIX.

Mea hac in re sententia est, Ulpianum in *d. pr.* agere de
eo

eo seruo, qui cum eidem fideicommissum adscriberetur, dominum habuit capacem, postea verò ante mortem testatoris alienatus est deportato. Nam hoc in casu servus, qui tempore conditi testamenti ex persona domini prioris fuit capax, per novum dominum deportatum efficitur incapax, & propterea illud, quod ex testatore relictum est, de jure anteriori, intermedio scil. pervenit in causam caduci, ut indicavi *supra th. 20.*

LX.

Objicitur *l. 3. de his quæ pro non script. hab.* ubi dicitur, ad fiscum non pertinere illud, quod testator attribuit ei, qui post testamentum conditum in metallum damnatus est, cum tamen ea, quæ fuerunt in causa caduci, ad fiscum pertinuerint.

LXI.

Respondet Pacius *in analys. C. de cad. toll. num. 9.* Tribonianum *d. l. 3.* interpolasse, & ex Justiniani constitutione, adverbium negandi interposuisse, cum *Jctus* scripserit, ad fiscum pertinere.

LXII.

Cæterum, quia idem dicitur *in l. 12. de jur. fisc.* verius est, ibi vel tractari jus antiquum, non intermedium, vel hoc saltem negari, quod hereditas & legatum ad fiscum ita pertineant, ut ea fiscus statim accipere possit, nec possit contingere, ut eadem accipere nequeat. Ea enim quæ erant in causa caduci, non certò ad fiscum pertinebant, sed fiscus in iis saltem habebat spem, vel jus in spe, non radicatum: verum tale, quod deficere poterat, ut dixi *supra th. 20.*

LXIII.

Deinde objicitur *l. 59. de cond. & demonstr.* Distinguit Pacius *alleg. loc.* inter purè & sub conditione relictum, dicitque purè relictum intercidere, si is, cui relictum est, antequam ei deferatur, vel civitatem amittat, vel poenæ servus efficiatur: illud vero, quod sub conditione relictum est,
mor-

morte quidem, aut pœnæ servitute intercidere : non tamen
amissione civitatis. Hæc distinctio sive concedatur, sive
non, nihilominus *ex d. l. 59.* probari nequit, legatum, quod
adscriptum est ei, qui post testamentum conditum depor-
tatus, in causa caduci non fuisse. Nam licet illud non in-
tercidat, sufficit tamen, quod sit in causa, ut intercidat.

Plura vel elaboratiora ad enodationem *d. pr. l. 7. de
legat. 3.* hac vice afferre temporis brevitate excludor. Ago
autem gratias DEO TRINUNO, quod mihi con-
cesserit aliquo prodire tenus, si
non ultra.

F I N I S,



99 A 6998

ULB Halle 3
002 836 947



Vf. 17

Retro







DISPUTATIO INAUGURALIS
Ad

pr. l. si deportati 7. de legat. 3.

De Quaestione

**UTRUM, QVOD
INCAPACI A TESTA-
TORE RELICTUM EST, PER-
TINEAT AD FISCUM.**

Quam

D. O. M. A.

*Ex decreto Magnifici, Nobilissimi & Amplif-
simi Jctorum Collegii*

Præsidente

Amplissimo & Consultissimo Viro

Dn. VALENTINO RIEMERO

J. U. D. ET PROFESSORE CELEBERRIMO,

*nec non Scabinatus Assessore dignissimo, Præceptore
& Fautore suo plurimum & observan-
ter honorando.*

*Pro summo in Utroque Jure Gradu, Privilegiis &
Insigniis consequendis*

Publicæ discussioni proponit

JACOBUS FOMAN Jenâ-Thur.

Ad diem 23. Februarii Anno 1628.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.